

Disputatio Juridica, ^{Vol. 182. no. 34}
De Nobilissima usq; frequentissima
Materia 35

OPERIS NOVI NUNCIATIONE,

Quam
Annuate summâ sacrosanctâ Trinitate,
consensu

*Magnificæ atq; Amplissimæ Facultatis Juridicæ,
quæ Wittebergæ est,*

SUB PRÆSIDIO,
Viri Amplissimi, Consultiss. ac Excellentiss.

DN. GOTTFRIDI *Reiters* / J.U.D.
P.P. & Curia provincialis Witteb. Allessoris, &c. Dn. Praeceptoris,
Patroni & Hospitis sui summo observantia
cultu ætatem prosequendi
Publicæ ac placidæ disquisitioni subjicit

MICHAEL *Kreuch* Ourdruffio Thuringus,
In Auditorio Jctorum

Ad diem 25. Februarij, horis à 7. matutinis.



WITTEBERGÆ,

Typis GEORGII MÜLLERI,
ANNO clc lxxii.

19





IN NOMINE SACRO SANCTÆ TRI-
NITATIS PATRIS, FILII & SPIRITUS
SANCTI.

Injuriam illationem omnia jura non modo severè prohibere, verum etiam graviter puniendam statuere, in propatulo est: Injuriam autè generaliter sumptam, quæ secundum *Julianum l. 1. in pr. ff. de injur.* dicitur omne id, quod non jure fit, alicui per novum opus fieri, nemo est qui dubitat. Ideo & prætor, qui Juris Civilis custos & dispensator est, huic malo, quo vicini vel avaritiâ, vel errore, vel temeritate quâdam impulsu vicinis ædificando vel detrahendo injuriâ inferre non rarè conantur, hoc edicto *de Operis novi nuntiatione* occurrere voluit. Cum a. ea, quibus aliquid ponderis & momenti inest, requirente *Cajo l. 15. §. 26. ff. de injur.* specialiter notari debeant, & in eorum numero etiam nostra habeatur materia, quæ usu frequentissima, in foro utilissima exindeq; scitu dignissima reperitur. Itaque operæ precium visum fuit, eam juxta præceptum *Ulpiani l. 1. §. 15. ff. de oper. nov. nunc.* legitimâ methodo, quæ ad rerum tractandarum cognitionem ac intelligentiam plurimum conducit, teste *Augustissimo Imperatore Justiniano Nov. 31. in pr.* memoriamque, alioquin infirmam, uti illam nominat *Papinianus l. 44. in pr. ff. d. A. R. P.* egregiè juvat, pro tenuitate ingenii tractare, subq; disputationis incudem introducere. Quod ut feliciter fiat, lex methodi, quæ, ut generaliora præcedât, requi-

requirit, sequenda, ac imprimis ipsa rei definitio, quæ & nominis & rei hîc reperitur, præmittenda est. Proinde non immeritò à definitione nominis ordimur.

THESIS I.

Nunciare, cujus significatio aliàs monere sive significare est, hîc in materia prohibere vel denunciare significat, *Paulus l. 17. ibiq; gloss. ff. de oper. nov. nunciat.* Et nunciare novum opus is dicitur, qui alteri, nē opus novum faciat, denunciat eumq; prohibet. Opus hîc intelligimus quod solo conjunctum est, cujus ædificatio vel demolitio videtur opus novum continere. *Ulpian. l. 1. §. 12. h. tit.* Novum dicitur scilicet relatione ad tempus nunciationis, *Ulp. d. l. 1. §. 1. h. tit.* Opus v. novum facere, est ædificando aut detrahendo aliquid, pristinam loci vel operis faciem mutare. *Ulpian. d. l. 1. §. 11. b. r.* Idcirco ille, qui unum vel alterum cæmentum imponit, *Ulpian. l. 21. §. 3. h. tit.* aut qui vetus ædificium, nē corruat suppositis tibicinibus fulcit & sustinet, aut reficit, modò in ipsa refectione pristinam operis formam & faciem servaverit, nec illam mutaverit, novum opus non facit, sed veteri sustinendo remedium adhibet, *Ulpian. l. 1. §. 13. h. tit.* cum reficere sit ad pristinam formam reducere, *Ulpian. l. 3. §. 15. ff. de itinere act. priv. l. 1. §. 6. ff. de rivis.*

II.

Nunciatio novi operis, die verkündigung oder verbietung eines neuen Werks/ definitur, quod sit solennis sive legitima, *Ulpian. l. 5. §. 2. & seqq. h. tit.* prohibitio, *Paul. l. 17. ibiq; gloss. h. tit.* ædificanti, imprimis vicino *Paul. l. 8. in pr. African. l. 15. Ulpian. l. 21. in pr. h. t.* facta, ne in novo opere faciendo, *Ulpian. l. 1. §. 11. Paulus l. 8. §. 4. h. tit.* pergat, donec de jure *Ulpian. l. 20. §. 13. h. tit.* constet, aut ejus causa cautionem præstet. *Ulpian. l. 20. §. 11. l. 21. §. 5. h. tit. Paulus l. 188. §. 1. ff. de V. S.*

III.

Est autem nunciatio ratione causæ efficientis, vel judicialis vel extra judicialis *Ulpian. l. 5. §. 10. h. tit.* ratione materiæ, vel publicæ vel privata *Ulpian. l. 1. §. 17. l. 3. §. 4. h. tit.* ratione formæ, vel realis vel verbalis *Ulpian. l. 5. §. 10. h. tit.* Item alia legitima alia illegitima

gitima *Ulpian. d. l. 5. §. 4. h. tit.* ratione effectus, vel utilis ve l inutilis
Julian. l. 2. h. tit. Ulpian. l. un. §. 4. ff. de remission. aut personalis aut
realis *Paulus l. 8. §. 6. & 7. h. tit.*

IV.

Hujus juris aliàs incogniti causa efficiens remota est Prætor,
qui alia etiam edicta Juris civilis adjuvandi, supplendi, vel emendan-
di gratiâ proponere solebat, *Papinianus l. 7. ff. de J. & J.* propinqua
est voluntas eorum, qui eo jure utuntur: Sicut enim invitus agere,
vel accusare nemo cogitur *l. un. C. ut. nemo invit. agere.* ita nullus
novum opus nunciare contra voluntatem suam compellitur.

V.

Nunciationem & nostro & alieno nomine facere possumus.
Ulpianus l. 1. §. 3. h. tit. si in loco sacro, religioso vel publico, de quo a-
lieno jure contenditur, *Paulus l. 8. §. 3. h. tit.* aliquid operis fiat, omnis
civis opus novum, modò sit idonea persona, *Paulus l. 4. ff. de popular.
action.* nunciare potest. *Ulpian l. 3. §. 4. h. tit.* Hoc enim remedium
populari actioni, quæ publici juris tuendi gratiâ datur, simile est. Pro-
inde prohibentur pupilli *Ulpian. l. 5. in pr. h. tit. l. 6. ff. de popular. a-
ction.* minores, *arg. l. 8. ff. de numeribus & honor.* Nec quicquam
hîc facit tutoris vel curatoris autoritas, quia ad ejus officium non
pertinent, quæ sunt publica. *Cajus l. fin. ff. de curat. furios. & aliu. mu-
lieres Ulpian. d. l. 6. ff. de popular. action.* rem publicam enim defen-
dere, quod hîc requiritur, *Paulus l. 4. h. tit.* non possunt, *Ulpian. l. 2.
ff. de Reg. Jur.* Incolæ sive peregrini, *Ulpian. l. 3. §. 4. h. tit.* Si plures
in prædictis locis simul nuncient, Prætoris est, magis idoneum eligere,
Paulus l. 2. ff. de popul. action.

VI.

In privata causa, quæ nostri juris conservandi, aut damni repel-
lendi gratiâ suscipitur. *Ulpian. l. 1. §. 19. h. tit.* jus novum opus nun-
ciandi habet is, ad quem res pertinet, hoc est, qui aut dominium aut
servitutum habet *Ulpian. l. un. §. 3. ff. de remission. l. 5. §. 9. h. tit.*
Quod in realibus servitutibus, præcipuè urbanis, propter utilitatem
publicam, indistinctè *Ulpian. l. 15. ff. de servit. præd. urban. l. 6. §. 7.
ff. si. servitus vindic.* in rusticis verò tunc utiliter procedit, si nunciet
vicino, non autem domino, neque enim sicut adversus vicinum, ita
adversus dominum agi potest, jus ei non esse in suo ædificare. *Ulpian.*

A 3

l. un.



l. un. §. 4. ff. de remission. Quo in loco, licet agatur de usufructu, idem tamen Julianus dicit de cæteris, quibus aliqua servitus à vicino debetur *d. l. un. §. 4. in fin. ff. de remission.* Etsi dominus faciendo novum opus servitutis jus aliquo modo mutet, servitus tamen ab eo vindicari potest. *Paulus l. 9. in pr. ff. si servit. vindic. Julian. l. 14. h. tit. Quæ lex 14. ex l. 2. h. tit. & l. un. §. 4. ff. de remission.* cum nulla ferè diversitatis ratio reperiat, interpretanda est. Utilis etiam nunciatio est, quam vicino usufructuarius non quidem suo, sed procuratorio nomine facit *Ulpian. l. 1. §. fin. h. tit.* Usufructuarius enim veluti procurator ejus, ejus fundi usufructum habet, est, *Ulpian. l. 1. §. fin. Paulus l. 2. ff. usufruct. quemad. caveat.* Inutilis autem nunciatio censetur ea, quæ domino prædii fit, quia si hoc facto usus fructus deterior fiat, usus fructus ab eo petendus est, *Julian. l. 2. h. tit. Ulpian. l. un. §. 4. ff. de remission.*

VII.

Si plurium dominorum rei opus noceat, unius ex sociis nunciatio omnibus non sufficit, sed singulis nunciare necesse est, quia & fieri potest ut nunciatorum alter jus prohibendi habeat, alter non habeat. *Ulpian. l. 5. §. 6. h. tit.* Quo casu curandum est ut uni caveatur, si inter eos scilicet nunciantes conveniat, si verò non conveniat singulis erit cavendum, *Ulpian. l. 21. §. 6. h. tit.* Prædicta quidem clara sunt, si res ut communis tempore nunciationis possideatur: Verum dubium haud exiguum emergit, si judicium divisorium scilicet familiæ herciscundæ, vel communi dividundo institutum sit, & eo pendente de jure prædii controversia fiat, nimirum quando extraneus quidam, fortassè contra servitutem prædio debitam, novum opus faciat, quis tum temporis nunciare queat? *Pompon. l. 47. ff. famil. hercisc.* decidit, omnes opus novum pro sua quaque parte nunciare posse, si uni postmodum totus fundus adjudicatus fuerit, ille nunciationem prosequitur, habito tamen commodi & incommodi respectu.

VIII.

Qui pro domino sunt rectè novum opus nunciant, ut tutor, curator. *Ulpian. l. 7. §. 1. h. tit.* Superficiarius, *Ulpian. l. 3. §. 3. h. tit. l. 1. §. 6. ff. de superficieb.* Et ad ejus exemplum emphyteuticarius, *Ulpian. d. l. 3. §. 3. h. tit. Julianus l. 26. ff. de servitut.* Vasallus non solum extra-

neo

neo ædificanti *c. un. §. rei autem de investit. de re alien. facta. 2. F. 8 c. un. de contro. inter vas. & alium. 2. F. 43.* & si hac in re cesset Vasallus, Domino feudi, ejus etiam res agitur, licebit hoc facere, verum etiam ipsi Domino, *c. un. vers. si vero Vasallus. de milite Vasallo. 2. F. 22.* creditor pignoratitius, propter jus reale in rem sibi obligatam, *Cajus l. 9. h. tit. Ulpian. l. un. §. fin. ff. de remission. Julianus l. 16. ff. de servit. bonæ fidei possessor. Cajus l. 13. in pr. ff. de publician. in rem act. procurator Ulpian. l. 1. §. 3. l. 5. §. 18. & 20. h. tit. quo pristinum jus nobis conservatur. Paulus. l. 72. ff. de procurator. l. 17. h. tit. pupillus Ulpian. l. 5. in pr. h. tit. quæ tamen nunciatio non aliter, quam intercedente tutore auctore rata habebitur Ulpian. d. l. 5. in pr. h. tit. Mulier Ulpian. l. 6. ff. de popular. action. Socius autem, licet rei communis dominus sit Ulpian. l. 5. §. ult. ff. commodati, socio ædificanti, qui etiam dominus est, quod enim commune est, meum dicitur, *Paul. l. 5. §. 2. ff. de legat. 1. non rectè nunciat Ulpian. l. 3. §. 1. h. tit. etiam si propriæ rei nunciantis noceatur. Ulpian. d. l. 3. §. 2. h. tit. Vicino tamen nunciare potest. Ulpian. d. l. 3. §. 1. h. tit. Servi nunciatio nullum effectum habet. Ulpian. l. 5. §. 1. h. tit. Uti & inquilinorum ac colonorum, tam in publico quam privato Ulpian. l. 3. §. 3. h. t. Nisi in privato loco absentis locatoris nomine nunciant. *arg. l. 1. C. si per vim & al. mod. quia cura & custodia intelligitur iis mandata Ulpianus. l. 13. §. 7. ff. locati.***

IX.

Hoc generaliter notandum est, eum, qui alieno nomine, h. e. procuratorio nunciat, modò de mandato constet, admitti debere, nunciatio n. ex parte nunciati in re est, ideo requiritur quod nuncians habeat jus in re, vel sit ejus procurator. Non autem speciale mandatum hîc requiritur. Si aliquod dubium de mandato exoriat, tunc nuncians satisdare tenetur, dominum rem ratam habiturum, quo omisso, nunciatio omnimodò remittitur, etsi verus sit procurator. *Ul. l. 5. §. 18. & l. 7. in pr. h. tit.*

X.

Operis novi hunciatio in rem fit, non in personam, *Ulpianus l. 10. Favolenus l. fin. h. t. adversus absentes, invitos & ignorantes. Ulpian. l. 1. §. 5. h. tit.* Nunciari igitur non necessariò domino oportet, sed sufficit generaliter ei, qui in re præsentis domini operis vè nomine fuit



ne fuit, nunciationem fieri: Neque refert quis fit iste vel cujus conditionis, qui in re præfenti fuit, usque adeo ut etiam fieri possit fabris vel opificibus, qui eo loci operantur, *Ulpian. l. 5. §. 3. Paulus l. 11. h. t. servo. Ulpian. d. l. 5. §. 1. h. t. mulieri, puero vel puellæ, furioso, infanti, ubi nec tutoris autoritas exigitur, Ulpian. l. 10. h. tit. Vasallo, tam ab extraneo, quam ab ipso domino, tutori, curatori, cuicumq; etiam possessori, modo ejus nomine opus fiat, Papin. l. 18. §. 1. h. tit. & tandem cuilibet intelligenti. Paul. l. 11. h. tit. sufficit n. nunciationem sic factam esse, ut domino possit renunciari *Ulpian. d. l. 5. §. 3. in fin. h. tit.* Is autem sibi imputet, & de se conqueratur, qui fabros aut ministros negligentes adhibuit, quia in culpa aliquo modo esse videtur, si modo nunciatio recte fuerit facta. Illa nunciatio, si quis nemine præfente duos testes secum duxerit, non procedit, quia non sunt verisimiliter renunciaturi.*

XI.

Prætori, ut & aliis magistratum ad tempus gerentibus nunciari non potest, quia tales in jus vocare, quoad magistratum, gerunt, non licet, ille verò, cui nunciatur, quodammodo ad iudicium provocatur, sed interim protestatione, ipsi prætori aut iis, qui in ipso opere reperiuntur, facta, nuncians jus suum sibi conservet, ac si quid operis à tempore factæ protestationis factum fuerit, quando jus ædificandi prætorem aliosve non habuisse, compertum est, illud restituendum erit, quasi repetito die, quo nunciatum est *Ulpian. l. 5. §. 7. h. t.* Magistratu autem perpetuo fungentibus, si opus novum faciant, recte nunciari potest, *arg. l. 5. §. 7. h. t.*

XII.

Si plurium res sit, in qua opus novum fiat, & uni nuncietur, recte facta nunciatio est, omnibusq; dominis videtur denunciatum. *Ulpian. l. 5. §. 5. h. t.* Hoc casu etiam unus saltem cavet, & ut puto, in solidum, cum restitutio operis pro parte fieri non possit. *Ulpian. l. 21. §. 5. h. t.* quod fieret, si quidam, spretâ nunciatione, ædificando perrexerint & pro cautionis portione opus restituere deberent. Et non solum proximo vicino, sed etiam superiori h. e. mediato opus facienti nunciari potest. *Paulus l. 8. in pr. h. tit.* 13. Ma-

XIII.

Materia circa quam versatur nunciatio, sunt *structura, & ea saltem opera, quæ solo conjuncta sunt, quorum ædificatio vel demolitio videtur novum opus continere: non a. res mobiles.* Si quis igitur messem faciat, arborem succidat, vineam putet, quanquam opus faciat, ad hoc tamen edictum non pertinet. *Ulp. l. 1. §. 12. h. tit.* quia hæc opera restitui non possunt, sicut videre licet in arboribus succisis, quæ non restituntur, quod tamen jubetur. *Vlp. l. 20. in pr. & §. 1. h. tit.* Opera futura, non v. absoluta seu jam facta, quæ prohiberi nequeunt, sed transeundum est ad interdictum quod vi aut clam, vel uti possidetis. *Vlp. l. 1. §. 1. l. 5. §. 10. h. tit.* usq; adeò ut si quis tantum destinaverit ædificare, fabros conduxerit, materiam nimirum lapides, ligna &c. collegerit, nec tamen quicquam fecerit, nunciatio teneatur. *Ulp. l. 1. §. 17. l. 5. §. 2. l. 20. §. 2. h. tit.*

XIV.

Nec refert utrum opus novum fiat intra oppida, sive extra oppida, in villis vel agris, in loco publico aut privato, *Ulp. l. 1. §. 14. h. tit.* Publicum illud accipimus, quod est in usu publico civitatis, non a. quod est in ejus patrimonio. *Paulus l. 83. §. 5. ff. de V. O. prophano, vel sacro c. 1 & 2. X. h. tit.* religioso, aut sancto. *Ulp. l. 1. §. 1. & 17. h. tit.* qui textus de opere jam facto loquuntur, ut tunc interdictum quod vi aut clam, quod restitutorium est, quo restituitur si quid illicitè factum sit. *Ulp. d. l. 1. §. 1. in fin. h. tit.* uti in rebus prophanis, ita etiam in sacris, religiosis & sanctis locum habet. Nec inde sequitur interdictum, quod vi aut clam, in rebus sacris, religiosis &c. proponi potest. E. negligenda est novi operis nunciatio, cum tamen melius & consultius sit, rem intactam servari, quam post vulneratam causam remedium quærete. *Justinian. l. fin. C. in quibus caus. in integr. restit. necess. non est. Valent. Theod. Arcad. l. 1. C. quando lic. unic. sine judic. vind.* Nec hoc interdictum quod vi aut clam, cum, ut dictum est, restitutorium sit, operi, in quo tantum aliquis destinaverit ædificare, accommodari potest, cum illud, quod non est, restitui minimè possit, sed requirit, ut jam opus sit perfectum.

B

XV. Mate-



XV.

Materia in qua est ipsum opus, quod ædificatur, nam in re præfenti h. e. eo loci, ubi opus fiat *Ulpian. l. 5. §. 2. h. t.* in ipso opere, h. e. in re ipsa, per verba ne quid operis fiat, non v. ne quid tu facias *Ulpian. l. 20. in pr. h. tit.* nunciatio facienda est, ratio hæc redditur, ut confestim per nunciationem ab opere discedatur, *Ulp. d. l. 5. §. 4. h. tit.* Et potest quis nunciare, etiam ignorans quale opus fieret. *Vlp. l. 1. §. 8. h. tit.* Nec curamus, an in ædes nostras quis immittat, aut in loco nostro ædificet. *Ulp. l. 5. §. 8. h. tit.*

XVI.

Forma nunciandi triplex reperitur: Et fit vel magistratus autoritate, si adeatur, ut per publicam personam inhiberi jubeat, vel prætore sive magistratu non adito, per partem: hoc a modo aut per manum h. e. jactum lapilli, cujus etiam mentionem faciat. *Ulpian. l. 1. §. 6. Paulus l. 20. §. 1. ff. quod vi aut clam.* quo intelligitur quælibet contradictio realis, quando inceptum destruimus: ita tamen ut verba interveniant, vel nutus æquipollens, & hæc prohibitio à quibusdam festucaria & civilis nominatur: Verum hunc ritum hodiè fere exolevisse tradunt Dd. His duobus modis utimur, cum in nostro ædificatur: aut per nudam verbalem nunciationem, quæ proprie & angustè vocatur novi operis nunciatio, & usurpatur tum, cum in suo vicinus sive jure, sive non jure utpote contra jus servitutis ædificat. *Ulpian. l. 5. §. 10. h. tit.* quo casu nullum aliud proditum est remedium. Nec n. nunciatio ex hoc edicto semper necessariam habet magistratus aditionem, cum nunciare quis possit, etsi eum non adierit, *Vlpian. l. 1. §. 2. h. t.* Consultius tamen & melius est, priores duos modos eligere, nè adversarium in nostro ædificantem possessorem faciamus, quod verbali operis novi nunciatione contingit. *Vlpian. l. 1. §. 6. l. 5. §. 10. h. tit.* Ex ea ratione, cum nuncians suo nomine similis ei habeatur, qui judicium inchoat, eoque ipso se actorem quodammodo constituit, ac per consequens nunciatum utpote reum possidere fatetur: Ille v. qui lapilli jactu prohibet, facto ipso obsistit, suamq; possessionem sibi servat, & prohibitionem per magistratum factâ, magistratus ipse suo officio opus inchoatum inhibet,

Factâ

XVII.

Factâ nunciatione, committunt se litigatores jurisdictioni
judicis, *Vlpian. l. 1. §. 9. h. tit. ut a. malitiis hominum occurratur,*
& audacia compescatur, introductum est, illum, qui novum o-
pus nunciat, jurare oportere, se non calumniæ causa novum o-
pus nunciare. Si illô delatô nunciâns jurare renuat, prætor
nunciationem remittit. Et hoc jusjurandum calumniæ auctore
prætorē defertur, idè si nec judex, nec ille cui nunciatum est,
id præstari petierit, tacitè omitti potest. *Vlpian. l. 5. §. 14. h. tit. c.*
x. de juram, calum. in. 6.

XVIII.

Vt eo melius nunciato utpote reo, cujus partes sunt favo-
rabiliores, *Cajus l. 125. ff. de R. 7. consulatur,* neque ulterius cir-
cumducatur, statuendum est, sicut in citatione, libello vel testi-
monii perhibitione: ita quoque in ipso nunciationis actu nun-
ciantem ad partis petitionem & instantiam, licet non expressis
verbis factam, teneri causam nunciationis suæ exprimere, ut
nunciatus ab initio sciat, an utilis sit nuuciatio, ac deliberare
possit, an cedere vel contendere debeat. *Vlpian. l. 1. in pr. ff. de E-*
dendo, nè inani sumptuum erogatione ædificans vexaretur. An a
causa justa vel injusta sit, ex eventu litis cognoscitur.

XIX.

Præterea, cum omnia apertè & sine captione agenda sint,
nec hâc in re, quæ tanti momenti est, quid captionis sub sit, ille,
qui nunciat, necesse habet, demonstrare in quo loco novum opus
nunciet, quæ demonstratio toties facienda est, quoties in par-
tem fit nunciatio, ut ille, cui nunciatum est, sciat ubi possit ædi-
ficare, vel ubi interim abstinendum esset. Cæterum si in totum
opus fiat, non est necesse demonstrare, sed sufficit dicere, totum
hoc opus, quod cœpisti, nè facias. *Vlpian. l. 5. §. 15. h. tit. Proin-*
de is, qui jus prohibendi in parte habet, si simpliciter nunciave-
rit, nec partem expresserit succumbet.

XX.

Si in pluribus & separatis locis opus fiat, quia nuuciatio in
re præsentis h. e. in ipso opere facienda est, plures nunciationes
sunt necessariae, quæ pluralitas nunciationum requirit plurali-

tatem remissionum *Ulpian. l. 5. §. 16. h. tit.* vel pluralitatem cautionum. An v. plures loci sint, an unus locus, arbitrio iudicis relinquendum esse puto.

XXI.

Quod ad tempus attinet, nunciatio omnibus diebus, etiam feriatis fieri potest. *Ulpian. l. 1. §. 4. h. t.* fieri n. sine aditione Prætoris potest. *Ulpian. l. 1. §. 2. h. t.* Et licet quandoq; adeatur Prætor, tamen potest diebus feriatis adiri, quia de plano id petitur, non pro tribunali, cum causæ cognitionem id non requirat, nec contentiosæ sed voluntariæ jurisdictionis sit. *Ulpian. l. 2. ff. de feriis.*

XXII.

Illo casu si quid operis jam factum fuerit, nuncians illud explorare & propter difficultatem probationis in testationem, h. e. tabulas, quæ fidei & probationis causa conficiuntur, referre debet, ut appareat, quid postea spretâ nunciatione factum sit. *Paul. l. 8. §. 1. b. t.* Insuper ut hoc eo facilius probari possit, modulus h. e. mensurâ sive perticas, quibus architecti totum opus dimetiuntur, sumere debet is, qui nunciat. *Paulus d. l. 8. §. 5. h. t.* Inter se verò, licet non sumptis modulis, nunciatio tamen firma est.

XXIII.

Finis nunciationis est, quod illa fiat aut juris nostri conservandi causa, aut damni depellendi, aut publici juris tuendi gratia. *Ulpian. l. 1. §. 16. h. tit.* Et ita hoc remedium nunciationis in eius favorem, cui opus ab alio factum nociturum esset, comparatum est.

XXIV.

Effectus nunciationis est, ut, nunciatione sive jure sive injuriâ factâ, nunciatus ab opere jure aut non jure inchoato *Ulpian. l. 1. in pr. h. tit.* ulterius faciendo confestim abstineat, cumq; nunciante prætoris jurisdictioni, ut jus ædificationis ibi examine netur, sese committat. *Ulpian. d. l. 1. §. 9. h. t.* si igitur interea, antequam vel nunciatio remissa, vel vice nunciationis missæ satisfactio de opere restituendo, si contra facientem judicabitur, interposita fuerit, spretâ nunciatione in novo opere faciendo perrexerit, etiamsi jus faciendi habuit, ac de eo agere cœpit, quia v. contra edictum Prætoris & jus nunciationis facere videtur, Prætor actionem ei denegare debet. *Ulp. l. 1. §. 7. h. tit.* & nunciatus

ciatus factum opus, jussu tamen & auctoritate magistratus, demoliri atq; disturbare tenetur. *Ulpian. l. 20. §. 1. & 3. l. 21. §. 1. in fin. h. tit.* Nam quicquid ante remissionem, vel illud, quod loco remissionis habetur, fit, pro eo habendum est, atq; si nullo jure factum esset. *Ulp. d. l. 20. §. 4. h. tit.* Imò etiam interdicto, quod vi aut clam tenetur. *Ulpian. l. 7. §. 2. ff. quod vi aut clam.*

XXV.

Quod licet durum & grave sit, præsertim si nunciatus jus ædificandi habuerit, tamen lex ita scripta est. *Ulpian. l. 12. ff. qui & à quibus manumiss. lib. non sunt,* nec ratione caret: Nunciatio n. novi operis speciem quandam appellationis habet. Sicut igitur, appellatione sive jure s. injuriâ interpositâ, nihil novari, seu ut vulgò loquimur, attentari oportet. *Ulp. l. 1. in pr. & §. 1. ff. nihil innovari appell. interpos.* Sic etiâ nunciatione sive jure s. injuriâ factâ, nihil operis novi facere permittitur. *Paulus l. 8. §. 4. h. t.* Insuper nunciatus juris, non facti viâ se tueri h. e. judicem adire & remissionem petere debet, quo omisso, ob contemptam judicis auctoritatem, opus postea factum demoliendum est, nec obstat, quod quandoque nunciatus homo privatus sit, nam secutus edictum prætoris, quasi auctore prætore nunciat.

XXVI.

Quod procedit, si de jure nunciantis dubium, licet exiguum, exurgat. Nam si planè compertum sit, ei jus nunciandi nō competere, nunciatio impunè contemni potest, *Ulpian. l. 1. §. fin. Julianus l. 2. h. t.* Et tunc nulla remissione vel satisfactione opus est. Nec præsumitur, Prætorem, qui passim in jure æquitatis amans dicitur. *Ulp. l. 2. in pr. ff. de bon. poss. secund. tabb. l. 4. §. 1. ff. de eo quod certo loco.* voluisse nunciationem evidentè injustam approbare, ac per eam ædificantem ligare. Imò talis injustè nunciatus injuriarum actione, ut quidam volunt, conveniri potest. *arg. l. 13. §. 7. ff. de injuriis.*

XXVII.

Nunciatio separatim ab opere, fortè in foro, ad domum nunciati vel alio etiam in loco incongruo facta, nullius est momèti, etsi ipsi domino facta fuerit, ideoq; etiam impunè contemnitur. *Ulp. l. 5. §. 4. h. t.* quia in re ipsa, ut *tb. 15. dicitur,* nunciandum est, & paria in jure nostro sunt, non fieri, & non rite beneq; fieri, *Paulus l. 6. ff. qui satisd. cog.*

Meritò

XXVIII.

Meritò etiam nunciatio in quibusdam rebus propter publicam salutem & securitatem spernitur: præcipuè verò si quis rivos aut fontes purgare vel reficere velit. *Ulpian. l. 3. §. 8. ff. de rivis.* quibus non resectis, usus aquæ auferetur, & homines siti necarentur. *Venulejus l. ult. ff. d. tit.* Aut cloacas *Ulpian. l. 5. §. 11. h. tit.* quarum immunditiæ & coelum pestilens & ruinas minantur *Ulpian. l. 1. §. 2. ff. de cloacis.* Et generaliter toties nunciatio sperni potest, quoties dilatio seu mora periculum aliquod grave ædificanti allatura esset. Multo enim melius est, omitti novi operis nunciationem, quam impediri operis necessarii urgentem extructionem. *Ulpian. l. 5. §. 12. h. tit.* An autem opera talia fuerint, ut nunciatio contemni debeat, nec ne, hoc arbitrio iudicis committimus. *Ulpian. d. l. 5. §. 13. h. tit.*

XXIX.

Porro si quis in illis rebus, quæ jure naturali communes sunt, quarum usus publicus ac juris gentium est, veluti in mari, vel littore maris ædificet, licet in suo non ædificet, jure tamen gentium ædificium suum facit: Si igitur aliquis velit ibi ædificantem prohibere, nullo jure prohibet, neque opus novum nunciare potest, unâ causâ exceptâ, si fortè damni infecti velit sibi caveri. *Ulpian. l. 1. §. 18. h. tit.* Non enim cum damno & incommodo vicini ibi ædificare licet. *Pompon. l. 50. ff. de A. R. D. Ulpian. l. 2. §. 8. ff. ne quid in loco publ. fiat.* Quod jure quidem verissimum est, sed hodiè consuetudine, quia mare nec non littora maris plurimis in locis inter regalia referuntur. *FF. in c. nn. quæ snt regalia. 2. F. 56. aliter observatur.*

XXX.

Quamvis autem prædictis ac aliis quibusdam casibus, prætor non solum ab initio operis novi nunciationem, verum etiam ejus executionem denegat, nihilominus tamen legitimæ actiones manent. *Paulus l. 19. h. tit.* puta in rem actio *Ulpian. l. 3. §. 8. ff. de rivis.* Item confessoria & negatoria: Socio, judicium communi dividundo *Ulpian. l. 3. §. 1. h. t.* & similes aliæ extraordinariæ cognitiones & actiones, propter favorem & gratiam litigantium.

XXXI.

Quæstio intricata hîc movenda est, nimirum, An ille in cujus fundo aliquid ab alio ædificatur, illam structuram propriâ auctoritate,

tate, iudice non adito, destruere possit? Nos ipsi, hoc licitū esse, intrepidè statuimus, quatenus fundum possidet, moti, *Ulpian. l. 29. §. 1. ff. ad L. Aquil. Venulej. l. fin. §. 2. ff. quod vi aut clam. l. 1. & 2. C. ut nemini lic. sine jud. auctorit. sign. impon. Julian. l. 33. ff. de condict. indeb. cum unicuique licitum sit possessionem suam defendere. Ulpian. l. 3. §. 9. ff. de vi & vi armata. Nec ideò nunciationis remedium inutile judicandum est, si quis fortè non ausit, vel non possit demoliri. Nam in arbitrio possessoris est, an agere, vel rem perdere velit. *Pompon. l. 27. in pr. ff. de S. P. V. modò ista destructio in continenti fiat.**

XXXII.

Uterius non inconuenienter hîc quæritur, si opificibus novum opus, domino ignorante, nunciatur, illiq; spretâ nunciatione ædificando, perrexerint, ad quid teneantur? Nos statuendum putamus, dominum ad demolitionem operis post denunciationem facti, *Ulpian. l. 1. §. 5. h. tit.* Opifices verò, propter culpam ædificando commissam, demolitionis expensas solvere teneri. Ea de causa quibusdam in locis collegia opificum inter alios suorum statutorum articulos, & hunc constituerunt, si nimirum opifices, sive ignorantes sive scientes, imò etiam jubente domino nunciato, contra nunciationem ædificando pergant, nisi legitimo modo concessio facta sit, collegio excluditur, *werden aus der Zunft gestossen / vnd für vntüchtig geachtet.* Quod rationabiliter statutum videtur, ne illorum nimia ignorantia ac negligentia, quæ culpæ æquiparatur, *Ulpian. l. 226. ff. de V. S. impunita relinquantur, neque melioris conditionis, quam domini sint.*

XXXIII.

Hactenus, præcipue verò *in ð. 24. & 25* dicta, vera & liquida sunt, si res unius sit, in qua nunciatio facta est, quid autem si plurimum res sit, & factâ nunciatione unus ædificando pergat, an alii non ædificantes etiam teneantur? *Ulpian. l. 5. §. 5. h. tit.* statuit quod non teneantur, modo ignoraverint continuationem operis, sed ille saltem, qui ædificando perrexerit, in solidum tenetur nuncianti, quoad operis suis sumptibus destructionem, suis vero consortibus quoad interesse, cum restitutio operis pro parte fieri nequeat. *Ulpian. l. 21. §. 5. h. tit!* Nec factum alterius ei, qui nihil fecit nocere, neque alteri per alterum iniqua conditio inferri debeat. *Papinian. l. 74. ff. de R. J.*

XXXIV.

Tempus intra quod novum opus denuncians de jure suo prohibendi docere debeat, de jure Com. est spatium trium mensium, nisi aliquod quocunque modo impedimentum, quò ad decisionem ambiguitatis perveniri nequeat, fuerit. *Justinianus l. un. C. h. tit.* In Camera hoc spatium tam exactè non observatur, sed sufficit nunciantem articulos nunciationis tēpore præfinito exhibuisse, eosq; ad probandum admitti petiisse, licet examen debito tempore non finiatur, ac judicialiter producat, uti Assessores Camera hoc testantur.

XXXV.

Adjacent huic nostro edicto, quædam interdicta, i. Restitutorium, quo prætor opus contra nunciationem, non præviâ satisfactione vel remissione, factum restitui jubet, *Ulpian. l. 20. in pr. h. tit. de quo dictum est §. 24.* Et hoc interdictum scilicet restitutorium perpetuò nuncianti, ejusque heredibus, cæterisque successoribus, adversus ipsum, qui opus fecit, vel factum ratum habuit, in ejus autem heredem potius actio in factum, quam interdictum quod vi aut clam competit. *Ulpian. d. l. 20. §. 6. 7. & 8. h. tit.* II. Prohibitorium, quod duplex: Vnum nè vis fiat novum opus sive jure f. non jure facienti, si de eo restituendo, quando contra jus ædificatum esset, satisdederit, quæ satisfactio in specie, & cum effectu hinc requiritur *Ulpian. d. l. 20. §. 13. & 14. h. tit.* aut per nunciantem, quo minus satisfidetur, semper steterit. *Ulpian. d. l. 20. §. 9 & 15. h. tit.* Securus enim nuncians est, posteaquam cautum est *Ulpianus d. l. 20. §. 11. h. tit.* Hoc interdictum satisfactio, ejus heredi cæterisque successoribus competit. *Ulpian. d. l. 20. §. fin. h. tit.* Alterum nè opus facienti vis fiat, postquam nunciatio à Præatore remissa fuerit. *Ulpian. l. 1. in pr. ff. de remission.*

XXXVI.

Nunciationis affine remedium est i. Protestatio, quâ utimur, si ad tempus quibusdam nunciatio fieri non possit, eundem tamen effectum ac nunciatio habet, quia protestanti jus suum integrè servat, ut videre licet in nunciatione Præatori facta, *Ulpian. l. 5 §. 7. tit.*

XXXVII.

II Edictum de damno infecto, quo de damno infecto, hoc e. nondum facto, sed quod futurum, *Cajus l. 2. ff. de damno infect.* quis ex ruinosis vicini ædibus, aut tecto veretur, prospicitur, ut illi, præstito tamen

tamen prius juramento calumniæ, dominus aut possessor ædium rui-
nam, vel aliud aliquod damnum minantium, caveat, de damno, si
quod datum erit, resarciendo: Cautione autem non subsecutâ, Præ-
tor actorem ex primo vel secundo decreto pro qualitate facti in pos-
sionem mittit *Ulpian. l. 7. ff. de damno infecto.*

XXXIIX.

III. Interdictum quod vi aut clam, quo quicquid vi aut clam fa-
ctum est Prætor jubet restitui, illoque possessiones tuetur. *Ulpian.*
l. 1. in pr. ff. quod vi aut clam. Nam si quid operis factum sit, quod fi-
eri non debuit, cessat edictum de novi operis nunciatione, quod sal-
tem circa futura versatur & transeundum est ad interdictum, quod vi
aut clam factum fuerit, ut restituatur. *Ulpian. l. 1. §. 1. l. 20. in pr. h.*
tit. vel interesse præstetur. l. 15. §. 7. ff. quod vi aut clam. Vim facere
est per vim, vel contra nunciationem, sive realem sive verbalem ali-
quid facere. *Ulpian. l. 1. §. 5. 6. & seqq. Paulus l. 20. ff. quod vi aut clam.*
Clam autem facere is dicitur, qui celavit adversarium opus, neque ei
denunciavit, si modo timuit ejus controversiam, aut timere debuit.
Ulpian. l. 3. §. 7. l. 5. in pr. & §. 1. ff. d. tit.

XXXIX.

IV. Actio civilis, vel confessoria, quæ competit prætendenti servi-
tutem, aut aliud aliquod jus sibi vel fundo suo deberi, veluti si quis in-
tendat jus sibi esse ex fundo vicini aquam ducendi, vel jus vicino non
esse ædes altius tollere, & sic vindicat servitutē altius nō tollendi, qua-
si ea servitus ædibus vicini imposita sit. §. 2. *Instit. de Action.* quo ca-
su adversarium latitantem nec se defendentem judex cogit, ut caveat,
se non prius ædificaturum, quam probaverit libertatem: Vel nega-
toria, quæ datur pertendenti nullam servitutem pro asserenda liberta-
te, vel si quis agat, jus non esse adversario utendi, fruendi, eundi, al-
tius tollendi &c. Hoc casu adversarius se non defendens authore judi-
dice cavere debet, se neque opus novum nunciaturum, neque ædifi-
canti vim facturum, donec de jure suo probet: Inde ex possessore fit
petitor, ex reo actor, gravisq; pœna scilicet onus probandi, adversa-
rio imponitur. *Africanus l. 15. h. tit.* Utilitas hujus actionis ex eo emi-
cat, ut post rem judicatam actor de jure suo certus, neque postea in
possessione sua per nunciationem turbandus, vel eā ejiciendus
sit.

C

40. Nuncia-



XL.

Nunciatio re adhuc integrâ, variis modis tollitur. 1. Morte nunciantis. *Paulus l. 8. §. 6. h. tit.* Non enim in obligationibus ea, quæ sunt facti, qualis etiam hæc est, ad heredes transeunt. *Ulpian. l. 24. §. fin. ff. solut. matrimon.* Secus est in iis quæ sunt juris, quæ per obligationes ad heredes transeunt. *Justinian. l. 13. C. de contrab. & commit-tend. stipul.* Excepto tamen hoc casu, si quis pro se & heredibus suis nunciet, hæc nunciatio & sibi & heredibus suis, mortuo illo, utilis est. *arg. l. 27. §. 1. ff. de recept. arbitr.* Cæterum si contemptâ nunciatio-ne vivente adhuc nunciante, opus continuatum fuerit, interdictum, quod jam defuncto competere cœpit, etiam heredi datur. E contra-trario si is, cui nunciatum sit, decesserit, nunciatio non extinguitur. *Paulus d. l. 8. §. ult. h. tit.* Nunciatio enim ratione personæ nunciatis est personalis, ratione verò nunciati est realis. Exinde si nunciatus ante remissionem, opere facto, decesserit, debet heres ejus patientiam, non autem impensas destruendi operis adversario præstare, quia in impensarum pœnam, quâ in restituendo hujusmodi opere saltem, ille, qui contra edictum fecit, afficitur, hæres non succedit. *Mar-cellus l. 22. h. tit.*

XLI.

2. Alienatione ejus rei cujus causa nunciatum est, si scilicet nunci-ans rem suam in qua quis opus novum facere cœpit alienaverit, *Paulus l. 8. §. 6. h. tit.* interesse enim hoc modo definit. Si verò nunciatus ædes vel fundum suum alienaverit non extinguitur nunciatio, sed transit ad successorem, cum nunciatio in rem sit, eamq; comita-tur. *Paulus l. 8. §. 7. Ulpian. l. 10. h. tit.*

XLII.

Illud hîc probè notandum, si is, cui novum opus nunciatum erit, prædium nunciatum vendiderit, & emtor ignorans ædifica-verit atque perfecit opus, tunc emtor nuncianti tenetur saltem ad patientiam demolitionis. *Javolenus l. fin. h. tit.* venditor verò ut im-pensas, præster. *Cajus l. 3. §. 3. ff. de alienat. jud. mutandi caus.* pro-pter dolum, qui nemini patrocinari debet. *Paulus l. 1. §. 1. ff. de doli mali & met. except.* in alienatione commissum, quasi cum eo nunciatus ex nunciatione agere non posset. Sic quoque quando quis locum

locum in quo opus fecerit, cuius nomine interdicto, quod vi aut clam vel alio tenebatur, alienaverit, tunc si actio contra ipsum venditorem instituat, ille opus suis sumptibus tollere debet, si contra alium, quam qui opus fecerit, actio fiat, actor suis impensis opus tollere compellitur. Ille enim qui ab alio factum possidet, tantum ad patientiam destructionis tenetur. *Cajus d. l. 3. §. 2. ff. de alienat. jud. mutandi causa.*

XLIII.

3. Remissione, quæ est nunciationis operis novi abolitio à Præ-
tore facta. Ibi autem remissio utilis est & valet, ubi nunciatio utilis fu-
it & valuit, at nunciatio tum demum tenet, quando jus nunciandi
competit nunciati. *Ulpian. l. un. §. 2. ff. de remission.* Nam si quis
eo in loco nunciet, in quo notoriè jus nunciandi nullum habet, nunci-
atio ab initio inutilis est, nec remissio requiritur, imò ipso jure re-
missa est & impunè sperni potest, ut *l. 26.* dictum est. Ratio hæc af-
signatur, quia remissio nunciationis privatio est, nè illa teneat, sed pri-
vatio præsupponit habitum. *Paulus l. 43. §. 9. ff. de Ædilit. Edicto. l. 208. ff. de R. J.* Non igitur habitus ille, qui nullus aut non jure est, pri-
vari dici potest. *arg. l. 6. ff. qui satid. cog.*

XLIV.

Dictum est *l. preced.* quod remissio à Præ-
tore sive iudice fieri
debeat *per d. l. un. in pr. ff. de remis. ibi, ceterum nunciationem missam
facio.* Sed dubium nullum est, quin etiam partes, scilicet nunci-
ans ac nunciatus, inter se remissionem facere & pacisci, ne nunci-
ans nunciationem, exequatur, possint: Nec est periculum, nè pa-
ctio privatorum jussui Prætoris anteposita videatur, nihil enim aliud
Prætoris iudex agit, quam ut controversias litigantium dirimat, à
quibus si spontè recesserint, debet id ratum habere. *Ulpian. l. 1. §.
10. h. tit.* Inde rectè nunciato exceptio conventionis competit.
Ulpian. d. l. 1. §. 10. h. tit. Quod procedit, si ex familiari re nuncia-
tio novi operis facta sit, si verò de re publica, tunc non licet. *Ulpian.
l. 7. §. 14. ff. de pactis.* quod nec Præses, vel curator reipublicæ per-
mittere potest. *Ulpian. l. 1. §. 4. ff. quod vi aut clam.* Quilibet enim fa-
vori & juri pro se introducto, si modo non fiat in præjudicium tertii
cujusdam, vel etiam reipublicæ, renunciare potest, *Justinianus l. pen.
C. de pactis.*

Circa materiam remissionis hoc ulterius observemus, procuratore in remissione à parte nunciantis interveniente, Prætori curæ sit, nè falsus procurator absenti noceat. *Julian. l. 13. §. 2. b. tit.* Et ut res eò cautius agatur, vigilandum est, ut talis procurator remissionem absentis nomine desiderans, sive ad publicum sive ad privatum jus ea remissio pertineat, cum defensoris partes sustineat, satisfacere cogatur. *Ulpian. l. 5. §. 19. b. tit.* hæc autem remissio à procuratore nunciante facta, in personam domini confertur. *Julian. d. l. 13. in pr. b. tit.*

4. Satisfatione nunciati, *Ulpian. l. 5. §. 17. Paulus l. 8. §. 2. & 4. b. tit.* quæ remissioni æquiparatur, *Ulpian. l. 20. §. 1. & 4. b. tit. l. un. §. 2. in fin. ff. de remission. vel quod perinde est, si per nunciantem stet, quo minus satisfacatur. Ulpian. l. 20. §. 5. 9. & 15. b. tit.* Et licet de Jure Digestorum nunciatus, satisfatione quocunque tempore præstita ædificando pergere potuerat remissionemq; consequeretur. *Ulpian. l. 5. §. 17. l. 21. §. 1. Paulus l. 8. §. 3. & 4. b. tit.* Huic tamen Justinianus *l. un. C. b. tit.* aliquantum derogavit, constituens, si aliquod quocunque modo ad decisionem ambiguitatis impedimentum fuerit, quo minus nunciatus intra spatium trium mensium causam nunciationis dirimere, & de jure suo docere possit, tunc demum, illis scilicet tribus mensibus præterlapsis, nunciatum ædificationem deproperantem licentiam habere opus, de quo agitur, efficere, præstita tamen prius cautione, de omni opere post denunciationem facta, si non rectè ædificaverit, restituendo: Ante verò eorum lapsum impunè, quamvis satisfacere, non ædificat. Hæc sententia expresso juris Canonici textu comprobatur. *c. ult. X. b. tit.* Quæ cautione tam nuncianti, quam nunciato consultum est. *Ulpian. l. 21 §. 1. b. tit.* Imò etiam reipublicæ, cum ad decus urbium pertineat, ædificia non derelinqui. *Ulpian. l. 20. §. 10. b. tit.* & reipublicæ intersit, urbem ruinis non deformari. *Ulpian. l. 2. §. 17. Julian. l. fin. ff. nè quid in loc. publ. fiat.*

An

XLVII.

An autem Prætor satisfactionem in specie & propriè sic dictam, quæ fit per fidejussores, *l. 1. in fin. ff. qui satidar. cog.* & ex interpretatione per pignora, requirat, an verò nudâ repromissione vel qualicunque cautione contentus sit, adeò liquido non constat, cum satisfactionis & repromissionis promiscuè in hac nostra materia mentio fiat, præsertim *in l. 5. §. 17. h. tit.* & satisfactionis appellatione interdum etiam repromissio contineatur. *Paulus l. 61. ff. de V. S.* Nos, ut in re dubia & obscura benigniorem interpretationem sequamur, quod non minus justius quam tutius est. *Marcellus l. 192. §. 1. ff. de R. J.* rem per distinctionem decidimus: Cavetur namque de novo opere vel in publico vel privato loco factò: utroq; loco vel suo vel alieno nomine. Si suo, repromissio sufficit, si alieno satisfactio requiritur. *Ulpian. l. 5. §. fin. ff. quibus ex caus. in poss. eatur. l. 1. §. 6. ff. de stipulat. prætoria.*

XLVIII.

Inter alios cautionis effectus & hic reperitur, ut nunciatus opus inchoatum, si postea appareat, illud non rectè factum esse, restituere teneatur. *Ulpian. l. 21. §. 1. h. tit.* Si autem deinde judicatum fuerit, illud non jure factum esse, nec nunciatus ipse illud restituerit, tunc vi prætoriam restituendum, vel si petitori, cuius est eligere, placuerit, tanta pecunia danda est, quanti ea res erit. *Ulpian. l. 21. §. 4. h. tit.* Est & illud observandum, nemini, nec ipsi domino, quamdiu stipulatio ex novi operis nunciatione tenet, cum semel nunciaverit, permissum esse iterum nunciare. *Julianus l. 13. §. 1. b. t.*

XLIX.

5. Prætoris sive judicis contrariam prohibitionem. Si enim per Prætores sive iudices alicui novum opus nunciatur, deinde nunciationem Prætor vel iudex prohibuerit, & edificare opus permiserit, tunc nunciatio prior sublata est, nec ex ea agi poterit, quasi adversus edictum ejus factum sit. *Ulpian. l. 16. h. tit.*

L.

Dictum est supra, nunciationem minori factam locum habere. *Ulpian. l. 5. §. 3. Paul. l. 11. h. tit.* Inde non frustra quæstio



illa ventilanda est, an minor contemptâ nunciatione, restituendus sit? Nos, illo prius explicato, ad quid restitutio concedenda, nimirum an minor nunc cautionem de opere demoliendo præstare possit, quam tunc, cum illi nunciaretur præstando ædificare, potuisset, negativam extruimus thesin statuentes, quia de delicto, quod ille, qui spretâ Prætoris nunciatione ædificando pergit, committit, hic agitur, eum in integrum restitutionem non mereri, nec est ætatis excusatio adversus præcepta legum, ei, qui dum leges invocat, contra eas committit. *Tryphonius l. 37. §. 1. ff. de minor.* Nisi juris ignorantia lapsus. *Papinian. l. 38. §. 1. ff. ad L. Jul. de Adulter.* Minoribus enim 25. annis jus ignorare permissum est. *Paulus l. 9. in pr. ff. de juris & facti ignor.* Aut magna fortè aliqua causa Prætozem ad restitutionis concessionem moveat, ex cujus arbitrio restitutio in integrum ferè pendet. *Tryphon. d. l. 37. §. 1. ff. de minor.* Et tantum hæc vice de generalioribus hujus materiæ.



Corollaria.

I.

Canonicus minor inscriptus & coaptatus, etsi sportulas accipiat, tamen in Electione Episcopi sententiam dicere non debet.

II.

Ex Imperatoris contractu & pacto de rebus ad imperiū statum pertinentibus inito etiam successores ejus obligantur.

III.

Compressam & vitiatam ab alio ignoranter pro virgine sive vidua ducens, licet matrimonium postmodum consummatum sit eam retinere minimè cogitur.

Dn.

Dn. R spondenti, convictori & amico

suo.

IPse tuis meritò grator conatibus istis,
Qui vice bis quartâ pulpita nostra teris.
Tu benè jam coeptis, divini Numinis actu,
Sic pergas: aderit gloria certa tibi.

Gottfr. Reutter/ D. & P. P.
Præses fac.



VEre novo veluti reliquos spiramine flores
vincit odoratis lilia juncta, rosis.
Sic inter cunctos effulget Kreuchius unus,
Pulpita cui Themidis scandere cura fuit,
Lethiferis postquam spirantes æstibus austri
Laxarunt foedæ tetra venena luis.
prosperiter tibi res cedat, nec inanibus ausis
Mi Kreuchi Themidos suscipis illud opus,
Sunt etenim Labyrinthæis intexta latebris
cuncta, Ariadnæis ductibus ut sit opus.
Sed tamen hæc magni sunt argumenta laboris,
queis potis es studium cuiq; probare tuum.
Perge de hinc legum & iuris dissolvere syrpos,
crescet sic laudis portio magna tuæ.

benevolentia g.

p.
Fridericus Pratorius D.
Kreuch




Eruditissimo Dn. Responsuro,
Kreuch, malè compositas Parteis discernere
suescis,
Ceu benè discretas Aequò componere noscis:
Id quod conflictu testare satisq; superq;
Pergas, quin Tibi Doctoris mox grater
honorem.

sympat. suo dilectifs.

F.

M. Nicolaus Zapfius Phil.
Fac. Wit. Adj.








ULB Halle
004 961 196


3



WMA







CXXXVI. Vol. 182. no. 34
Disputatio Juridica,
De Nobilissima usque frequentissima
Materia *35*

OPERIS NOVI NUNCIATIONE,

Quam
Annunte summâ sacrosanctâ Trinitate,
consensu
Magnifica atq; Amplissima Facultatis Juridicae,
qua Wittebergæ est,

SUB PRÆSIDIO,
Viri Amplissimi, Consultiss. ac Excellentiss.
DN. GOTTFRIDI Keiters/ J.U.D.
P.P. & Curia provincialis Witteb. Allessoris, &c. Dn. Præcep-
toris, Patroni & Hospitis sui summo observantiæ
cultu ætatem prosequendi
Publicæ ac placidæ disquisitioni subicit

MICHAEL Kreuch Ourdruffio Thuringus,
In Auditorio Jctorum
Ad diem 25. Februarij, horis à 7. matutinis.

WITTEBERGÆ,
Typis GEORGII MÜLLERI,
ANNO clc lxx xxxii. *19*